

Torres hic super quæstionem XXI, articulo secundo, sumiturque ex D. Thoma ibidem articulo tertio ad tertium dicente, quod præsumptio excludit spem ratione ejus differentia, in quantum est virtus, quia excludit ejus ordinationem, est enim objectum formale spei respicere

Deum, ut assequendum ordinate et per ordinata media, et manifestum est, quod si contrariatur spei non potest esse cum illa, sicut quodlibet vitium destruit virtutem contrariam, alioquin contrarietas non esset. Et hæc de hac materia.

QUÆSTIO XXIII.

DE CHARITATE USQUE AD QUÆSTIONEM XLV.

ORDO TOTIUS MATERIÆ.

Si materiam charitatis in tota sua latitudine consideremus, de illa disputat D. Thomas per viginti quatuor quæstiones, cujus ordinem disponit, sicut in aliis virtutibus, ut prius tractet de his quæ pertinent ad ipsam charitatem, vel ab illa derivantur tamquam effectus: secundo, de his, quæ illi opponuntur tamquam vitia: tertio, de eo, quod illi correspondet tamquam donum.

Circa ipsam virtutem charitatis ommissa quæstione an est, quia in prima secundæ quæstione LXII ostenderit D. Thomas dari virtutes theologicas, quarum una est charitas, incipit a quæstione quid est, et explicat naturam, seu quidditatem charitatis per suas quatuor causas, formalem et finalem, efficientem et materialem seu subjectivam: deinde explicat ea, quæ magis extrinseca sunt charitati, vel tamquam objecta materialia circa quæ versatur, vel tamquam actus, et effectus, quos operatur. Igitur primis duabus quæstionibus, scilicet XXIII et XXIV, explicat quidditatem charitatis ex causis illius; et primo magis interiores causas, quæ sunt formalis et finalis, eo quod in charitate, cum sit virtus theologica, finis, et objectum coincidunt, habet enim pro objecto immediato ipsum Deum: quia vero Deus est objectum formale charitatis non quomodocumque; sed ut terminans amicitiam, incipit primum articulum ab ipso objecto specificante, scilicet quod charitas sit amicitia, id est, amor respiciens Deum ut amicum, ea amicitia, quæ haberi potest, et debet erga supremum finem, ita ut propter illum sint, et agantur omnia. Ex qua elevatissima ratione specificante discurrit sequentibus articulis usque ad VIII, circa conditiones et perfectiones, quas inde trahit specificata virtus, quæ est charitas, scilicet non solum ut sit virtus tamquam habitus creatus, et specialis, et una virtus, sed sit maxima virtutum, utpote tangens supremam rationem boni in ipso fine, scilicet ut purum propter ipsum amet, non miscendo aliam impuritatem, ex quo habet dare cæteris virtutibus perfectionem status virtuosi ex conjunctione ad talem finem, et hoc modo dicitur esse forma virtutum, quia format, et ordinat illas ad hunc finem.

Exinde explicata causa formali specificante, quæ cum finali coincidit, procedit S. Thomas quæst. XXIV ad alias duas causas charitatis, scilicet materialem et efficientem, et conjungit S. Thomas considerationem istarum causarum, eo quod difficultates circa unam dependent ex altera: ad declarandum enim existentiam charitatis in voluntate tamquam in subjecto, et augmentum illius in eodem subjecto, et amissione illius a subjecto, oportet declarare simul causam efficientem ostendendo, quod in nobis non causatur charitas ex nostris actibus, sed ex infusione divina, et

similiter quod in ordine ad augmentum causa efficiens est Deus, licet nostri actus concurrant meritorie, et dispositive, ac denique ostendendo causas, quibus charitas amittitur a subjecto, quæ est unica, nempe peccatum mortale: et sic de istis causis, tam subjectiva, quam efficiente, et agente, et deficiente agit quæstione xxiv. Ideo autem in tractatu de charitate explicavit D. Thomas istas quæstiones de augmento, et infusione, et amissione charitatis, cum aliquin communes videantur omni virtuti, eo quod charitas est quasi vita, et forma omnium virtutum; in vita autem nostra specialius considerantur ista tria, nativitas, augmentum, et mors, et ideo specialius in charitate debuerunt considerari infusio, augmentum, et amissio.

Explicata natura charitatis per suas causas transit D. Thomas ad explicandum extrinseca, ad quæ se extendit, et effectus quos operatur; et non tractat de extrinseco specificante, quia hoc pertinet ad causam formalem, et explicatum est quæstione xxiii, ostendendo quod Deus, ut amicus specificat charitatem; agit ergo de objecto materiali, ad quod charitas se extendit: et prius agit de illo quam de actibus charitatis; tum, quia objectum materiale propinquius se habet ad formale, et quasi involvit, et recipit illud, sicut corpus colorem respectu visus; tum, quia varietas actuum charitatis explicari non potest, nisi cognitis objectis circa quæ versantur, et penes quæ distinguuntur. In explicando autem charitatis objectum attendit D. Thomas duo. Primo, res ipsas diligendas: secundo, ordinem quem in illis servat charitas, quia cum sit suprema virtus attingens summum bonum, pertinet ad ipsam cætera bona ordinare ad istum finem, et unicuique tantum tribuere de amore, quantum habet de bonitate, et approximatione ad ipsum finem. Et primum, scilicet quodnam sit objectum, vel objecta ad quæ charitas se extendit, deducit sanctus doctor ex formali objecto, quod attingit, respicit enim charitas Deum ut amicum, cui debet convenire et communicare, et quia non solum ipse homo, sed multi alii debent communicare in bonis cum Deo, ex consequenti oportet, quod diligat omnes illos qui debent Deo convenire, et communicare in ejus beatitudine. Unde sequitur quod debet diligere omnes creaturas rationales, quem vel actu, vel in potentia participant hanc communicationem divinam, sive sint amici, sive inimici, sive justii, sive peccatores, sive homines, sive Angeli. Damnos autem charitas non attingit, quia sunt extra possibilitatem divinæ communicationis; et similiter irracionales creaturas, nisi forte diligat ista tamquam res quasdam, quas vult esse in gloriam Dei, qua ratione etiam ipsa charitas diligitur non ut persona amicabile, sed ut bonum quod volumus amico, et de his objectis materialibus charitatis agit quæstione xxv.

Secundum vero quod considerat D. Thomas in istis objectis est ordo diligendorum; cum autem charitas respiciat bonum divinum ut uniendum sibi per amicitiam ex duplici radice oritur ordo charitatis inter personas diligendas, aut quia plus habent de divina bonitate, et ejus participatione, aut quia nobis sunt magis conjunctæ, et unitæ, et ratione utriusque diligimus Deum super omnia, et etiam plusquam nos ipsos, quod non contingit in amicitia politica, et privata, eo quod Deus diligitur ut amicus non quomodocumque, sed ut habens in se universale, et essentielle principium beatitudinis, supra cujus communicationem fundatur hæc amicitia supernaturalis, sicut amicitia politica supra communicatione civili, sed tamen hæc communicatio civilis oritur ex me ipso, qui volo communicare me ipsum, vel bona mea amico tamquam ad alium me, et ideo amabilia ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad se. Cæterum in amicitia erga Deum communicatio honorum oritur ex ipso Deo, et ego ipse qui amo ex illo sum, et ideo ratio amicitiae non oritur ex amicabilibus ad se, sed ex amicabilibus ad Deum descendit ad se, et hoc est diligere Deum plusquam se, et ideo solum in charitate ad Deum potest inveniri ratio puræ

amicitiæ, in quantum non oritur ex bono proprio. Post Deum autem, unusquisque magis diligit se, quam proximum, debet enim diligere alios, sicut seipsum, unde ipsemet est quasi exemplar primum et diligendorum, quia se ut participem gloriæ divinæ, alios ut socios in participando. Excipio tamen Christum Dominum, etiam ut hominem, et Beatissimam Virginem matrem, eo quod participant quamdam rationem principii communicantis nobis gratiam, et beatitudinem, est enim Christus, ut homo caput gloriæ, et Beatissima Virgo mater capitis, et collum per quod derivatur gratia, et ideo magis debemus ipsos diligere, quam nos. Inter proximos autem secundum majorem bonitatem, quam participant, vel majorem conjunctionem quam habent ad nos, sic magis vel minus diliguntur a charitate. Et inde discernendum est quomodo magis diligamus meliores in gratia; quomodo etiam magis diligamus conjunctiores nobis, ut parentes, aut filios aut uxorem, aut benefactores, quæ omnia in littera sunt perspicua in quæstione xxvi.

Considerato objecto materiali ad quod charitas se extendit incipit agere D. Thomas de actibus et effectibus charitatis; ut autem explicentur effectus minus principales oportet incipere ab actu magis principali, a quo cæteri derivantur non agendo de ejus quidditate, quia ista supponitur explicata in quæstione xxiii, agendo de ratione formali charitatis, quæ perfectius invenitur in actu, quam in habitu, sed agit de actu principali in quantum est principium aliorum. Est autem principalis actus dilectio, cæteri autem sive interni, sive externi derivantur ex isto per redundantiam, vel merentur per imperium, et ideo vocantur potius effectus, quam actus charitatis: illi enim proprie dicuntur actus alicujus virtutis, et principii, qui immediate ab illo eliciuntur; effectus autem illi, qui consequuntur ad principalem actum, vel quasi per redundantiam, vel quasi per imperium, ita quod mediet aliud principium, vel potentia, vel dispositio, ut consequatur iste secundus actus. Igitur in quæstione xxvii, explicat D. Thomas actum dilectionis, nec aliqua difficultas occurrit circa illum in littera, nam distinctio illius a benevolentia explicabitur tractando propriam rationem amicitiae: ratio autem meriti tractando de augmento charitatis.

Ex hoc autem principali actu charitatis, qui est dilectio, resultant quinque effectus charitatis, tres interiores, et duo exteriores: interiores sunt gaudium, pax, et misericordia, quorum gaudium principaliter versatur erga Deum, de cujus bono lætamur; pax erga Deum, erga seipsum, et erga proximum; misericordia erga proximum tantum, sed tamen est hæc differentia, quod gaudium, et pax ita simpliciter resultant a charitate, quod non exigunt aliam distinctam virtutem mediante qua fiant: misericordia autem exigit virtutem distinctam a charitate. Cujus ratio sumitur ex D. Thoma hic quæstione xxx, art. iii ad tertium. Nam gaudium, et pax sequuntur ipsam rationem boni sub conceptu, et linea qua tangitur a dilectione, scilicet sub ratione boni amati: misericordia autem tangit bonum induendo aliam rationem, scilicet ut est relevativum a miseria. Ex eo enim quod bonum amatur causat lætitiã, eo quod conveniens est amanti solum addita una conditione, scilicet quod sit præsens, sicut ex eo quod est absens causat tristitiã, et desiderium. Unde ad causandos istos effectus non indiget charitas alia ratione formali, quam ipsius dilectionis, addita solum conditione præsentiae, vel absentiae. Similiter ex eadem ratione boni divini amati quatenus est universale bonum sequitur pax, tam in ipso homine in se ipso, quam in ordine ad alios, pax enim non importat solam concordiam, id est, unionem, et consensum voluntatum, sed etiam impletionem appetituum, et cessationem motuum ejus, quamdiu enim appetitus non impletur nondum est peccatum cor, sed quasi movetur, et pugnat in se ipso: per hoc autem quod homo amat Deum per charitatem diligit illum ex toto corde, et consequenter subjicit ei utrumque appetitum rationalem, et sensitivum tamquam bono imple-